

3728 [= 3536] in columna ex marmore cipolino. A Castelvolturno M pass. inter sept. et orient. prope casam rusticam Iacobi Salzano DVHN. Iam Capuae in museo Campano.

D D v
IMP PR OBO AVG ~ IIII p. C. 281
ET v TIBERIANO CONS
TEMPORE · II · SERVILI
5 VALERI · TERTVLLIN · IVN ·
ET · PETRONI SATTI
NON MAIS ~

Descriptus Duhn, ego, Zangemeister. Pellegrino p. 176 (inde Gudius ms. 786, 3; Pratilinus p. 181); Iannelli *Commiss. di Caserta* 1878 p. 66 cum mea de hoc titulo adnotatione.

3 supra o priorem fortasse apicem adesse adnotat Zang. — *D(e)d(icatum) imp. Pr[obo] Aug. IIII et Tiberiano cons., tempore (duovirum) Servili Valeri Tertullin(i) iun(ioris) et Petroni Satti, non. Mais.* Probi nomen erasum reperitur etiam in titulo Hispano vol. II n. 3738.

3729 [= 3539] ad ostium fl. Volturni in traiectu via Neapolitana FIGH.; Volturni PELL.; *sciolta avanti la capella di S. Rocco di Castello* DAN.; nunc Neapoli in museo.

A N I C I A · M A T E R
P A N I C I V S · P · L · E R O S
T E G V L A R I V S
A N I C I A · P · L · C R E S T E sic
5 D O M I T I A · C N · L ·
F A V S T A · A N I C I A N A
C N · D O M I T I V S · C N · L
H E R M I A

Descripti quod superest et recognovi. Pleniorum exhibent Pighius cod. Berol. f. 165 et Pellegrinus p. 176 (ex eo Gudius ms. 786, 1, ed. 209, 12); fractam ut nunc est Danieliana cod. X. C. 79; Fiorelli cat. n. 1384. Henzen n. 7279.

Quae non vidi, inclinatis dedi. — 2 nunc sic est: I ANICIVS I // ROS.

3730 Arnoni BON.; 'ad Arnone; locus est in 'quo venatur rex' MARVC. Adhuc Arnone in turri campanaria extrinsecus.

D · M
S E N T I A E · P · F I L
P O M P E I A N A E
V I X I T · A N N · X X X I I
5 M E N S · I · D · V I I I
L · L I C I N I V S · L I B E R I A N V S
V X O R I · P I I S S I M A E · E T
C A S T I S S I M A E

Marucellianus A. 79, 1 f. 76; Bononius cod. Ottob. f. 37' (inde Mur. 1402, 6); Cuccari ms. et *Commissione di Caserta* 4. Dec. 1872 pro inedita.

In vv. divisione consentiunt Mar. Cucc. — 2 P·F, 3 POMPENINAE, 4 VIX· Bon. — 5 MENS· I·D Cucc., MENSIB Mar., MENS Bon. — 6 in. L· om. Cucc. — LIBERTANVS Bon. — 7 PIIS-SIMAE Cucc., KARISSIME Maruc., RARISSIMAE Bon. — 7. 8 ET·CASTISSIMAE om. Maruc.

XLVII. ATELLA (*Sant' Arpino* prope Aversam). *Tribu Falerna?*

Aderl(u) Osce dictum oppidum testibus nummis (Friedlaender *osk. Münzen* p. 15; Sambon *recherches* p. 173), Latine Atella, situm secundum itineraria (supra p. 58 n. V) medium inter Neapolim et Capuam, ibi ubi vicus Santarpino sive Santelpidio et vicina ecclesia S. Mariae nomen antiqui oppidi diu retinuerunt et rudera eius adhuc cernuntur, easdem fere vices perpessa est atque vicina Capua. Ea cum Samnites potiti sunt, item Atellam Calatiamque suas videntur fecisse; nam probabile est ab eo tempore trium oppidorum eam societatem proficisci, quae et in nummis et in rerum memoria deinde luculenter apparet. Bello Samnitico deinde Romani utroque oppido vi potiti esse videntur; nam quod ad a. 441 Diodorus (19, 101) narrat: ἐμβαλὼν εἰς τὴν τῶν πολεμίων χώραν Κελίαν καὶ τὴν Νωλάνων ἀκρόπολιν ἐξεπολιόρχησε, item quae Livius (9, 28) ad a. 443 adscribit: *qui captae Nolae decus ad consulem trahunt, adiciunt Atinam et Calatiam ab eodem captas*, ibi vix dubium est quin Calatia haec intellegenda sit apud Diodorum in Κελίαν corrupta, Atinam autem Livius errore posuerit pro Atella. Atellani et Calatini utrum foedus cum Romanis ante factum tum ruperint an tum primum sub dominationem Romanorum cesserint, nescimus; sed eundem statum, quo Campani tum fuerunt, Atellani quoque et Calatini aut receperunt tum aut adepti sunt, societate artissima tam inter se quam cum Campanis coniuncti, adeo ut Atellani et Calatini apud Polybium 3, 118 pars sint Campanorum (Καποανῶν τινες). Praefectos Capuam Cumas consentaneum est etiam Atellanis et Calatinis ius dixisse (Festus s. v. praefecturae p. 233). Bello Hanniblico Atellani et Calatini post cladem Cannensem a. u. c. 538 rupta societate (cf. Silius 8, 542) inter primos fuerunt, qui a Romanis deficerent (Liv. 22, 64; Silius 11, 44) eorumque exemplum mox Campanos quoque traxit. Capua a Romanis recepta a. u. c. 543 Atellani nihilominus aliquamdiu in armis manserunt (App. Hann. 49) cumque amplius resistere non possent, ab Hannibale impetrarunt, ut Thurios transferrentur (App. I. c.). Itaque quod aiunt Romanorum annales Atellam quoque et Calatiam Capua capta in deditionem acceptas esse similesque de principibus civibus poenas sumptas (Polyb. 9, 45; Liv. 26, 16), id ita intellegendum est vacua fere Atella eos potitos esse. Neque plane eandem sortem Atellani habuerunt atque reliqui Campani; nam quamquam primo omnes trium oppidorum cives qui fuerunt eiusdem iuris esse iussi sunt (Liv. 26, 34), paullo post senatui placuit, ut Atella civibus si qui superessent exturbatis in solacium

urbis patriae amissae exulibus Nucerinis concederetur (Liv. 27, 3; Appian. I. c.). His deinde bello confecto cum sedes antiquae restituerentur, de Atellanis quid factum sit, ignoratur. Rem publicam sub antiquo nomine eo ipso tempore restitutam esse non crediderim; obstant cum alia¹⁾ tum quod fabula Atellana inde nata est, quod per leges Romanas non licebat in scaena abuti nomine coloniarum municipiorumque quae essent, ex deletis autem Atellae praesertim, Romano nomini omnium maxime infensae, hoc munusculum deferre placuit, ut ludicrae fabulae haec quasi legitima scaena esset. Restituta tamen Atella est ante Ciceronis aetatem; tum enim municipii loco fuit (Cicero ad Q. fr. 2, 14, 3 de M. Orffio equite Romano: *est ex municipio Atellano, quod scis esse in fide nostra*; cf. de lege agr. 2, 31, 86) adeoque agrum vectigalem in Gallia habuit (Cicero ad fam. 13, 7, 1). Posteriores nomen ponunt chorographi Strabo 5, 4, 11 p. 249, qui collocat inter Campaniae oppida ordinis secundi, Plinius 3, 5, 63, Ptolemaeus 3, 4, 68, item itineraria (supra p. 58), index denique fortasse nundinarius Allifanus (IX, 2318: *Atellanis*). *Cur(ator) Neap(olitanorum) et Atell(anorum)* nominatur in titulo Tomitano vol. III n. 6154. Liber coloniarum quae profert p. 230: *Atella muro ducta colonia: deducta ab Augusto: iter populo debetur p. CXX: ager eius in iugeribus est adsignatus*, de iis similiter statuendum est atque de eiusdem indicis Literninis et Volturnensibus; certe coloniae ab Augusto Atellam deductae praeterca nullum indicium invenitur. De condicione oppidi ex titulis hoc solum intellegitur decuriones ibi senatus nomine usos esse; nam invenitur n. 3736 in *sen(atum) copt(atum) Atella[e]* et n. 3732 *L. d. s. c.* Magistratus non nominantur nisi uno titulo eoque corrupto n. 3736; videntur fuisse *quattuorviri*. In tribu Atellanos fuisse Falerna probabile est propter n. 3734. 3749, quamquam Tromentina est n. 3736.

Comprehendit caput hoc titulos repertos in vicis circa Santarpinum sitis Grumo Cesi Casapuzzano, item repertos Aversae cum Gricignano et Casacciello, denique Calvizzanensem n. 3733, cum Maranenses legantur interpositi Puteolanis. Etiam in ea regione, cui Atellae nomen

1) A. 547 quod inter prodigia Romae procurata refertur Atellae murum et portam de caelo tacta esse (Liv. 27, 37, 2) ostendit ad eum annum certe solum Atellanum publicum populi Romani mansisse, id est Nucerinis oppidum utendum tantummodo concessum esse.